

Brugnat. Missæ Conventualis 23. Januarii 1786. Dub. 1.

(77. Et eadem Missa Conventualis celebrari debet quoad futurum cum cantu, et extra tempus horarum Canonicarum; licet diebus profestis sine cantu ex antiqua observantia, et extra chorale tempus celebrassent: Ibid. dub. 2.

(78. Episcopis exposuit, quod in sua Ecclesia Cathedrali Canonici de jure patronatus laicorum diebus festis, in quibus onus habent applicandi Missam pro fundatoribus, minime applicare Missam conventualem benefactoribus in genere consueverunt. Ideo nomine Capituli supplicatur pro Missæ conventualis reductione inspecta redditum tenuitate; et Sacra Cong. decrevit ab omnibus esse Missam conventualem celebrandam statis vicibus et quoad applicationem pro benefactoribus in genere diebus festis tantum non omnia celebratione, et applicatione pro fundatoribus in specie per alium juxta leges foundationis: Brugnat. missæ Conventualis et pro Populo 28. Maii 1796. dub. 2.

(79. Ecclesia S. Marci Castri Clementis in Collegiatam erecta cautum fuit, ut Canonici post annos 8. in quibus tantum Dominicis, aliisque festis diebus Ecclesiæ inserviunt omnibus inservire Ecclesiæ teneantur; inde suas Capitulum condidit Constitutiones, in quibus decernit, quod 8. illis elapsis annis, quisque duos vacationum menses diebus ferialibus sumere poterit juxta leges S. C. Concilii. Hinc Canonici solliciti de vacationum indulto, an sint hæ concedendæ, postulant et S. C. concedendas esse juxta votum Archiepiscopi: Qui ait: « Eorum votis annuere censeant EE. VV. non aliter ut facultate vacanti frui possint, quam ad formam earum legum, quas in re sacra ista Congregatio præscripsit, et synodales Constitutiones servari jusserunt » resolvit, Firmana 28. Maii 1776.

(80. Vicarius Apostolicus Setinus occasione Sacræ Visitationis Ecclesiæ Collegiæ B. M. in cælum Assumptæ Sulmonis in Latio, exemptionem Canonicorum Convisitatorum a punctaturis decrevit, quod consentaneum decretis S. C. Concilii ei visum fuit. At Capitulares decretum hoc impugnantes, quod solus Episcopus assumendi binos Canonicos Convisitatores, non inferior privilegium habet, nisi de consensu Capituli, quem Vicarius Apostolicus neglexit; S. C. adierunt quæ præfatum decretum haud sustinere statuit: Terracinen. et Setina 18. Junii 1796. dub. 3.

(81. Quum Episcopus Scopusiensis sollicitus esset restituendi disciplinam chori suæ Ecclesiæ Cathedrali, nonnulla condidit statuta super methodo chori inserviendi, et missam conventualem, et præ ceteris residentiam statuit conciliarem, cujus causas absentia cognoscere Episcopus debeat, quia Canonici pingues redditus et ædes canonicæ prope Cathedralem habent. At dicti Canonici statuta impugnantes exhibent contrariam veterem consuetudinem, rigidum exponunt Scopusii aerem, gravesque loci difficultates, et petunt a S. C. declarari an ad residentiam

teneantur? et affirmativum responsum acceperunt, *Scopusien. servitii chori* 30 Julii 1796. dub. 3.

(82. Capitulare decretum emanatum fuit in Ecclesia Collegiata S. Mariæ in Via Lata, ut Canonici qui legitime impediti Missas diebus suis celebrare nequiverint non possint alium substituere, sed Canonici ordine succedere debet, « contravenientibus autem (nisi nocte vel mane diei, quo celebrandum ipsis esset, repentino forte morbo aliaque inopinata legitima causa impeditis fuisse constiterit) secretis item suffragiis, unoque solum dissentiente, decreta poena Juliorum duorum pro qualibet vice, in nostri Sacrorum utilitatem applicanda. » Hoc decretum Canonici Valentini impugnat, sed S. C. validum illud esse mandavit: « Romana servitii Chori 17. Septemb. 1796, dub. 3. »

(83. Episcopus Scopusiensis cupiens restituere disciplinam labefactam chori in sua Cathedrali plurima condidit statuta, inter quæ voluit, ut missam conventualem celebrarent Canonici, qui pingues habent redditus, sicut mos est in aliis Cathedralibus Ecclesiis; non vero uti consueverant celebrandi per alios diebus profestis. At Canonici impugnant hæc statuta et veteratam ostendunt contrariam consuetudinem. Sed S. C. consulta, rescripsit esse celebrandam Missam conventualem, et applicandam juxta modum, « Nempe, ut ultra dies solemniores ab Episcopo designatos Canonici omnes interesse debeant choro toto tempore Adventus, et Quadragesimæ: quodque Canonici singulis anni diebus psallere debeant per se ipsos. Missas vero Conventuales etiam principalem nuncupatam, celebrandas esse qualibet anni die a Canonico, et cum cantu usque ad finem Missæ: substituto alio Canonico in locum Turnarii, qui ob male affectam valetudinem celebrare non valeat cum cantu Missam votivam; nec licere Canonicis Missas privatas celebrare tempore Missæ Conventualis nisi ordine successivo, ac præscribendo a Præfeto chori et quoad singularum Missarum Conventualium applicationem, servetur Constitutio S. M. Bened. *Cum semper oblatus.* » §22. Ead. Caus. 30. Julii 1796. Scopusien. servitii Chori 30. Julii 1796. dub. 2. Inde rediit dubium, quia nimis gravis visa est Canonici resolutio celebrandi per se ipsos principalem Missam Conventualem diebus profestis et exorant reformationem, et Episcopo favente S. C. indecisus respondit juxta modum: « Nempe quoad Missam Conventualem Principalem etiam per Substitutos de gremio Capituli, et juxta votum Episcopi; » qui § 3. putat ut substituti applicant dictam Missam pro Benefactoribus elemosyna competenti a Capitulo soluta: Ead. Caus. 6. Maii 1797.

(84. Choralis servitii alternativa Canonici Cathedralis Casertanæ attentam insalubritate aeris, et prævia sanatione quoad præteritum, conceditur quoad futurum ex Indulto ad decennium, excepta Hebdomada majori, die Titulari Ecclesiæ, et ejusdem consecrationis. In Casertana Indulti 16. Maii 1801.

(85. Canonicorum Collegiæ Ecclesiæ

Montis Marciani consensu approbata fuit a Sacra Congregatione translatio Chori, et cessio Sacrorum Suppellectilium, in Senogallien. 10. Aprilis 1802.

(86. Canonico Aloysium Turchetti Collegiæ Ecclesiæ S. Antonini Oppidi Pharæ adigendum esse ad solutionem fallentiarum, etiamsi curam exercuerit animarum in Villa Collis Todini rescripsit Sacra Congregatio in Nullius seu Farfen. Punctaturarum 15. Maii 1802.

(87. Institutionem ad Canonicatum in Collegiata Ecclesiæ S. Mariæ Majoris Hispani denegavit Sacra Congregatio Friderico Trabalza, Hilario Ramagnini, et Francisco Tomassetti, in Fulginaten. Canonicatus 2. Augusti 1802.

(88. Instituendum esse ad Canonicatum Sisenam in Collegiata S. Antonini Oppidi Pharæ erectam, Sacerdotem Aloysium Rossi ex fundatione qualificatum, rescripsit Sacra Congregatio in Nullius, seu Farfen. Canonicatus die 18. Decem. 1802.

(89. Jubilationis indultum denegatur Josepho Orengo Canonico in Cathedrali Albitimilii ob præstitum non laudabiliter quadragesimæ chori servitium in Vintimilien. jubilationis die 26. Martii 1803.

(90. Præbendam Canonicalem ex fundatione Julii Cæsaris Bojani in Cathedrali Guastallæ erectam cum annuo reddito, quo cæteri Canonicatus fruebantur, augendam esse decrevit Sacra Congregatio, quia aucterant erant cæterorum Canonicorum Præbendæ, in Nullius Guastallæ Præbendæ die 25. Novem. 1803.

(91. Indultum causa infirmitatis negavit Sacra Congregatio Canonico Jacobo Turini, ut eximeretur ab exercendis muniis Parochialibus, in Prænestina indulti 29. Mart. 1806.

(92. Consuetudinem reprobavit Sacra Congregatio, ex qua Canonici Cathedralis Interamnensis, qui ad quotidiani Chori servitium tenentur, tempore Quadragesimæ Choro alternatim interesse solebant ad Completorium, neque eisdem concedendum censuit ex integro indultum, ut eo tempore alternativum servitium obirent, in Interammen. servitii Chori 14. Jun. 1806.

(93. Postulans Canonici Collegiæ Anguillariæ Joseph Peligni possessor duarum Præbendarum *Boccarini et Catani* (quæ nunc auctoritate Apostolica unitæ sunt) reductionem onerum attentam tenuitate fructuum utriusque præbendæ Sacra Congregatio statuit, ut taxato ab Ordinario congruo emolumento pro servitio Chori reliquos redditus erogandi essent in celebrationem Missarum ad manualet; fructus vero legatorum, qui adnexi sunt præbendis, si non sufficienter erogandos esse in tot Missas, quot redditus ad manualet, simulque eadem S. Congregatio jussit ut Episcopus incumbere restorationi domus fatiscantis Legati *Cascianelli*, vel ejusdem alienationi cum investimento, in Sutrina reductionis onerum 29. Novembris 1806.

(94. Dispensatio nem a suscipiendo docto-

ratu dandam esse censuit S. Congregatio Aloysio Marchetti, qui ex collatione Apostolica Prioratum et Canonicatum obtinuit ea interposita conditione, *ut doctoratum in aliqua approbata Universitate susciperet*, attentis expensis ad hoc necessariis conjunctim cum ejus idoneitate, in Lucana dispensationis 11. Apr. et 2. Maii 1807.

(95. Canonico Theologo Ciolli onus incumbere quadraginta lectionum infra annum sive Sacræ Scripturæ, sive Theologiæ arbitrio Abbatis definivit S. Congregatio, in Nullius Sublacen. Visitationis Sacrorum Liminum 11. Apr. 1807.

(96. Consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione a suscipienda Laurea in Sacra Theologia ad retinendam a Canonico Stephano Scerra Præbendam Theologicalem definivit Sacra Congregatio in Balneoregien. Præbendæ. Theologis 12. Apr. 1807.

(97. Ad integras horas Canonicas recitandas diebus Dominicis, aliisque festis de præcepto compelli non posse Canonicos Collegiæ S. Andreae definivit Sacra Congregatio, cum obstaret contraria longevi temporis consuetudine et tenuitate præbendarum, in Nullius Sublacen. Visitationis SS. Liminum 18. Jul. 1807.

(98. Indultum absentia ex causa infirmitatis concessit S. Congregatio Sacerdoti Benigno Pistoja Mansionario Collegiæ Ecclesiæ *Sublaci* juxta votum Epi Abbatis in Nullius Sublacen. die 17. Septembris 1808.

(99. Jubilationis indultum Sacra Congregatio concessit Canonico Gregorio Minucci in Cathedrali Prænestina, licet dubium esset an suppleret fallentias per duos menses in quadragesimario servitio, propterea quod ex superadventa infirmitate fallentias hujusmodi supplere nequibat, in Prænestina Jubilationis die 17. Decembris 1808.

(100. Jubilationis indultum concessit S. Congregatio Carolo Scriban Rossi, qui in Cathedrali Ecclesia Placentina servitium præstitit per annos quadraginta septem, licet abfuisset a Choro, quo tempore Vicarii munus exercuit, sed tamen auctus indulto abessendi in diebus et horis non impeditis, in Placentina jubilationis die 18. Martii 1809.

(101. Dispensationem a suscipiendo Magisterio in S. Theologia concessit Sacra Congregatio Sacerdoti Johanni Pressio ad effectum retinendi Præbendam Theologicalem in Cathedrali Perusina ex eo quod jam prædecessores similem dispensationem obtinuerint, et Orator esset Doctor in utroque jure, in Perusina Dispensationis die 17. Maii 1809.

(102. Jubilationis indultum concessit S. Congregatio Canonico Marco Antonio Giannotti attento continuo et laudabili servitio per quinquaginta sex annos præstito in Basilica S. Mariæ in Pantheon sita extra mœnia civitatis Tuscanæ, in Tuscanen. Jubilationis die 17. Septembris 1808.

(103. Indultum jubilationis petiti a Canonico Collegiæ Ecclesiæ *Cerbaria* Francisco Antonio Arcangeli denegandum cen-

suit S. Congregatio ex eo quod de servitio *quadraginta duo* annorum demendi erant sex ann. in quibus a residentia abfuit causa studiorum, in Nullius Sublacen. jubilationis die 18. Martii 1815.

(104. Suspensionem nominationis Canonici Monteboni Cathedralis Tuscaniæ, qui vacans erat, et nemò ob tenuitatem reddituum ad eum optabat, concessit S. Congregatio ad *decennium* deputato Ecclesiastico Administratore qui satisfactis Missis 48. quotannis superextantes redditus in dimissionem æris alieni, et in multiplicum favore Canonici fideliter erogaret, et multiplico cessato integer numerus Missarum ad formam foundationis celebraretur, in Tuscanen. Suspensionis die 18. Martii 1815.

(105. Provisio Canonici Collegiati Terræ Apoiri ex jure devoluto ab Episcopo facta, servandam censuit S. Congregatio attenta contumacia Partis, in Camerinen. Canonici die 2. Decembris 1815.

(106. Atque sanationem concessit ad effectum percipiendi fructus Præbendæ pro toto tempore absentiae *ibid.* ad 2. Dub.

(107-108. Quoad vero distributiones sanationem negavit pro eo tempore quo abfuit non petito, neque impetrato indulto, *ibid.* ad 3. Dub.

(109. *Indultum* ex causa infirmitatis a Canonico Collegiati Ecclesiæ Oppidi della Fratta, Josepho dell' Uomo petito a residentia differendum censuit Sacra Congregatio usque dum experimentum fieret arbitrio Episcopi num aer ejus. Oppidi adversus esset ejus valetudini, in Eugubina indulti die 13. Januarii 1816.

(110. Sed postea ingravescente morbo, licet non adhuc peracto experimento, indultum ex causa infirmitatis hac perdurante concessit. *Ibid.* ad 1. Dub.

(111. *Vacationes* a Choro pro dignitatibus, et Canonici extensas ad quartum mensem cujuslibet anni ex resolutione Capitulari reprobavit S. Congregatio in Segobriçen. jubilationis et Servitii Chori die 15. Junii 1816. ad 2. Dub.

(112. Jubilationis indultum denegavit S. Congregatio Joanni Theodori præbendato in Ecclesia Cathedrali Ripana, tum quia non constabat de quadragenario continuo, et laudabili præstito servitio, tum quia ejus præbendæ possessor ex lege foundationis est amovibilis ad nutum Capituli patroni, accedente justa causa, et consensu Ordinarii, in Ripana, Jubilationis die 22. Januarii 1820.

(113. Attenta eadem diminutione LL. MM. quatuor. Canonicales Præbendas Razzanti, quarum unaquæque vix annua scutata sex reddebat, in Mathelesensi Collegiata erectas, ad duas *reducendas* esse censuit Sacra Congregatio, contradicente licet Capitulo; et simul duas Missas in hebdomada unicuique præbendæ adnexas ad duas annuas *reduxit* juxta obtentum alias indultum, in Mathelesen. Unionis Canonici die 22. Januarii 1820.

(114. Attenta gravi paupertate Petri Hie-

ronymi Cattaneo *patroni* suspensionem ad decennium, si tamdiu opus fuerit, concedendam esse duxit Sac. Congregatio canonici vacantis in Collegiata Ecclesia S. Mariæ in Cœlum Assumptæ oppidi Ponticurononi diœcesis Derthonensis, ut satisfactis per Capitulum omnibus oneribus superextantes redditus Oratori consignarentur, idque notificari voluit Ministris Datarie Apostolicæ in Derthonen. Alimentorum die 22. Januarii 1820.

(115. Nec non *sanationem*, et absolutionem Canonici Collegiati S. Mariæ oppidi Bettona concessit ob erogatas in fabricam Ecclesiæ tum fructus Archipresbyteralis congruæ, cujus decennalis concessa ea de causa suspensio jam expiraverat, tum redditus quinque vacantium canoniciatus absque venia Apostolicæ Sedis in Assisien. Reædificationis die 22. Januarii 1820. ad 2. Dub.

(116. Ut compleretur reædificatio fatiscientis Collegiati, simulque Parochialis Ecclesiæ S. Mariæ Oppidi Bictonii, concessit ad decennium Sacra Congregatio tum *suspensionem* quinque Canonicaliæ præbendarum ibi vacantium, tum prorogationem alterius *suspensionis* jam concessæ Archipresbyteralis congruæ cum conditionibus in voto Episcopi expressis docto, etc., idque notificari mandavit Ministris Datarie Apostolicæ in Assisien. Reædificationis die 22. Januarii 1820. ad 1. Dub.

(117. Canonico Pœnitentiario Civitatis Plebis *indultum* absentiae a residentia denegavit Sacra Congregatio, quamvis alii Pœnitentiarum munus exercuissent, et Ecclesiæ Fabricæ redditus applicassent, injunxitque Episcopo, ut proponeret alia media pro reparatione Ecclesiæ. In Civitatis Plebis, Residentiæ, et Ecclesiæ Reparationis die 17 Febr. 1821.

(118. Addictis Sanctæ Sedis servitio sive in temporalibus, sive in Ecclesiasticis munere, confirmandum esse jam concessum indultum absentiae a Choro, et in posterum esse concedendum pro diebus et horis, quibus impediti fuerint, choralis servitio interesse, ob hujusmodi munus, amissis tamen distributionibus inter præsentem tantum, statuit Sacra Congregatio. In Dubiis indultorum die 6 Maii 1820. ad 1. Dub.

(119. His vero, qui ob aliquod munus extra locum beneficii nunquam possunt choro personaliter interessè, durante munere, indultum absentiae denegavit eadem S. Congregatio, exceptis tamen Nunciis, et inter-nunciis, *ibid.* ad 2. Dub.

(120. Inservientibus Secretariis Congregationum EE. S. R. E. Cardinalium pro expediendis negotiis tum Ecclesiastici, tum temporales regiminis indultum absentiae a Choralis officiatum concedendum esse pro diebus, et horis muneris, censuit eadem Sacra Congregatio, amissis tamen distributionibus ne dum inter præsentem dividendis, sed etiam amissa tertia parte quotidianarum distributionum. *Ibid.* ad 3. Dub.

(121. Capellæ Pontificiæ inservientibus sive in munere Magistri Cæremoniarum, sive Acolythorum et Clericorum indultum ab

sentia a choro, amissis tamen distributionibus inter præsentem, tantum concedendum esse judicavit pro diebus, et horis servitii præstandi personaliter, et ex munere non proprio lubitu, super quibus eorum conscientiam oneravit Sacra Congregatio. *Ibid.* ad 4. Dub.

(122. Lectoribus vero indultum absentiae a choro concedendum esse autumavit pro diebus et horis quibus in publicis Universitatibus S. Theologiam docent, amissis tamen distributionibus tum inter præsentem, cum tertia parte quotidianarum. *Ibid.* ad 5. Dub.

(123. Excepto tamen casu veræ necessitatis, denegavit eadem Sacra Congregatio indultum absentiae a choralis officiatum tum pro excipiendis Confessionibus sive in Ecclesia Beneficii, sive in alia Ecclesia, vel Monasterio, tum vacantibus exercitio Sacrarum Missionum, aliisque pietatis operibus. *Ibid.* ad 6. Dub.

(124. Denegavit præterea idem absentiae indultum Coadjutoribus sive ratione munerum, sive causa studiorum. *Ibid.* ad 7. Dub.

(125. Licet quatuor anni deessent ad explendum quadragenarium servitium, quibus ob non præstitum jusjurandum deportatus fuit a Gallis Joannes Baptista Ercoli Canonici Collegiati Ecclesiæ Vallerani, attamen ob expletum continuo et laudabiliter reliquum servitium chori, indultum jubilationis ei concessit Sacra Congregatio, salvo jure Episcopi illum revocandi in casibus urgentis necessitatis ad servitium, cujus deficientiam præ cæteris opposuerat Capitulum. In Civitatis Castellane Jubilationis die 15 Julii 1820. ad 1. Dub.

(126. Reductionem Canoniciatus et præbendarum beneficiarum vacantium in Collegiata Ecclesia S. Andrea oppidi Vellerani ob nimium divini Cultus detrimentum denegavit Sacra Congregatio, post auditam R. C. A. juxta resolutionem diei 18 Decembris elapsi anni, quæ jurepatronatus tantum Ecclesiæ nec non præposituræ, et Archipresbyteratus fruitur, non vero cæterarum præbendarum; verum exiguitati reddituum consuluit temporanea suspensione collationis earundem præbendarum in secundo dubio concessa. In Civitatis Castellane Reductionis et Dispensationis 15 Julii 1820. ad 1. Dub.

(127. Reductionem servitii chori denegavit Sacra Congregatio Beneficiatis Verotti, et Manganoni in Basilica S. Mariæ in Cosmedin, tum quia redditus notabiliter diminuti non erant, tum quia officiatum Choralis detrimentum patiebatur. In Romana servitii Chori 17 Februarii 1821. ad 1 et 2. Dub.

(128. Sustineri dixit Sacra Congregatio præscripta Fm̄i abbatis Trium Fontium lata die 29 Septembris 1819. ideoque non licere iis Canonici Nullius Orbeteli, qui Parochum Archipresbyterum deservire, et coadjuvare tenentur, Matrimonii interesse absque Ordinarii vel Parochi licentia; itemque posse eundem Abbatem coarctare, et etiam tollere facultatem audiendi confessiones memoratis canonici, sicut cæteris Confessariis. In Nullius Orbeteli, jurum Parochialium 2 Junii 1821. ad 1 et 2. Dub.

(129. Nec non ad Priorem Archipresbyterum qui Parœciæ curam habet, non vero ad Canonicos Coadjutores spectare jus distribuendi testimonia peractæ Communionis Paschalis, et conficiendi statum Animarum. *Ibid.* ad 3. Dub.

(130. Quamvis Secundo Piacenti resignaverit R. P. D. Conversi Canoniciatum Basilicæ S. Mariæ Transtiberim, reservata sibi pensione scut. 120. super fructibus, redditibus certis, et incertis, quæ fere excedit præbendæ fructus, tamen ad dictum Piacenti spectare onus solvendi Sacrarum pensionem scut. quinquaginta censuit S. Congregatio ad formam Brevis 28 Novembris 1803. quo ea oneratur ultimus Canonici, quemadmodum nunc est Piacenti. In Romana Pensionis 21 Julii 1821.

(131. Attenta consuetudine, Sacra Congregatio Canonici Ecclesiæ Collegiati Civitatis Evoli denegavit indultum præstandi servitium choro alternis hebdomadis. In Salernitana Servitii Chori 21 Julii 1821. ad 1. Dub.

(132. Eadem de causa, et quia ex Bulla erectionis Mansionarii ejusdem Ecclesiæ tenentur quotidie Choro interesse, Sacra Congregatio concedere noluit servitium alternativum. *Ibid.* ad 2. Dub.

(133. Nec non absolutionem a censuris incursis ob bonorum direptionem, et alia hujusmodi iisdem Canonici concessit Sacra Congregatio, facto verbo cum Sanctissimo, injuncta tamen gravi, et salutari poenitentia arbitrio ejusdem Episcopi. *Ibid.* ad 6. Dub.

(134. Attento Rescripto Sanctissimi Canonici Francisco Vagnozzi concessio per Secretariam Memorialium, quo permittitur, ut a Residentia, et servitio Chori abesset, et nihilominus sui Canonici fructus, redditus, ac proventus percipere posset, S. Congregatio censuit hæc omnia ab illo percipienda esse, exceptis tantum distributionibus inter præsentem, et compensato arbitrio Eminentiissimi Episcopi servitio Curæ, quatenus Vagnozzi Canonici Collegiati Montis Fani Auximane Diœcesis per alium non inservisset. In Auximana Distributionum die 22 Decembris 1821.

(135. Nec non sanationem et absolutionem Canonici Collegiati S. Mariæ Oppidi Bettona concessit ob erogatas in fabricam Ecclesiæ tum fructus Archipresbyteralis congruæ, cujus decennalis concessa ea de causa suspensio jam expiraverat, tum redditus quinque vacantium Canoniciatus absque venia Apostolicæ Sedis. Assisien. Reædificationis die 2. Januarii 1823. ad 2. Dub.

(136. Sanationem concessit Sacra Congregatio Joanni Baptistæ Ercoli Canonico Collegiati Ecclesiæ Vallarani absenti a residentia jam a quinque mensibus valetudinis tuenda causa, onerata tamen super hoc ejus conscientia. In Civitatis Castellane Jubilationis die 15 Julii 1823. ad 3. Dub.

(137. Canonici Eccles. Cathedralis Castellane etiam non capitulariter, sed ut singulis cum Episcopo intervenientibus, vel ab eodem invitatis, competere jus assistendi

Episcopo in sacris functionibus, non solum intra ambitum Civitatis Magdalunæ, sed etiam in Ecclesia Collegiata, dixit Sac. Congregatio, quæ decrevit quoque ut quotannis die 8 Maii per Deputatos Episcopo obedientia præstanda esset a dieta Magdalunensi Collegiata. In Casertana die 2 Augusti 1823, ad 1 et 2. Dub.

(138. Declaravit Sac. Congregatio Norberto Ricciotti proviso anno 1816. Canonicatu in Cathedrali Alatrina debere redditus præbendæ die 19 Junii 1816. qua expiravit Indultum suspensionis illius per decennium ab Apostolica Sede concessum, ut repararetur Ecclesia, licet materialiter, et non utiliter elapsus fuerit decennium ob militarem occupationem, quæ Canonicatus fructus per quinquennium sibi addidit. In Alatrina die 26 Augusti 1823.

(139. Ad Canonicos, Theologum, et Pœnitentiarium Metropolitanæ Ecclesiæ Surrentinæ, tam præsentibus, quam absentibus dignitatibus, nullam spectare præminentiam super alios Canonicos, ideoque eos debere in Choro juxta anzianitatis ordinem sedere, dixit S. Congregatio; quæ præterea declaravit, eis Chori præsentiam, absentibus omnibus dignitatibus, non competere, nisi antiquiores sint. In Surrentina, Præminentiarum die 20. Decem. 1823. ad 1 et 2. Dub.

(140. Cum adversus Literas Apostolicas, quibus Nicolao Colotio, Joannis Baptistæ Benvenuti Canonici Præpositi Collegiatae S. Mariæ Frusinonis Verulanæ Diœcesis Coadjutori, concessum fuit Stallum in Choro primum nempe inter Canonicos, post Archidiaconum juxta morem, et consuetudinem in Capitulo vigentes, Canonici, qui assertam consuetudinem negabant, arbitrium pro aperitione oris et ideo literas Apostolicas exequendas non esse peterent, Sac. Congregatio ob suffragiorum paritatem causam iterum proponi mandavit. In Verulana Stalli die 20 Decem. 1823. ad 1, 2 et 3. Dub.

(141. Attenta renunciatione Capituli Collegiatae Ecclesiæ Frusinonis Verulanæ Diœcesis, quod ob mortem Canonici Præpositi questionem de stallio ad Coadjutorem Præpositi spectanti inutilem esse censuit, Sac. Congregatio non proponi mandavit causam super aperitione oris, et executione literarum Apostolicarum, quibus Colotio concessa fuit Canonici Præpositi Coadjutoris. In Verulana Stalli 20 Martii 1824. ad 1, 2 et 3. Dub.

(142. Ad formam decreti Concilii Tridentini *Sess. 24. Cap. 12 de Reform.* ampliandum esse servitium chori in Cathedrali Ostunensi, respondit Sacra Congregatio, quæ aliquid ad mentem addidit. Præterea in tertia parte fructuum ad formam decreti laudati Concilii *sess. 12. Cap. 3. de Reform.* fallentias constituendas esse voluit. In Brundusina, seu Ostunen. Servitii Chori 26 Junii 1824. ad 1 et 2. Dub.

(143. Sacra Congregatio Mansionariis Metropolitanæ Ecclesiæ Bononiensis, cum nulla adesset justa et rationabilis causa, indultum reductionis servitii Chori, seu vacandi a cantu in Missis dierum ferialium,

et semiduplicium, denegavit. In Bononien. Reductionis Onerum 26 Junii 1824.

(144. Sacerdoti Vincentio Passalacqua Coadjutori Dominici Mazza in Cathedrali Ecclesia S. Severini Canonici Pœnitentiarum, quia neque ex Capituli constitutionibus, neque ex Apostolicis Coadjutoriarum literis, neque alio legitimo modo vox in Capitulo ei tribuebatur, jus ferendi suffragii non competere rescripsit Sacra Congregatio. In S. Severini Vocis in Capitulo 18 Septembris 1824.

(145. Servitium Chori, quo tenentur Sacerdotes participantes Ecclesiæ Matricis Oppidi Careni Mazzarien. Diœcesis, ad horas ante meridianas tantum præter officia tenebrarum reduxit Sacra Congregatio; cum tenuissimæ essent Præbendæ; denegavit vero Anniversariorum reductionem, quia redditus satis erant huic oneri ferendo. In Mazzarien. Reductionis Servitii Chori, et Anniversariorum 18 Decembris ad 1 et 2. Dub.

(146. Nec malam esse examinatorum relationem, nec irrationabile iudicium Episcopi, qui præbendam theologalem Canonico Vincentio la Galla contulit, posthabito Aloysio Advocato Biasucco, iterum respondit Sacra Congregatio eidem Biasucco rursus appellanti, vadimonium tamen deferenti, dum in decisio sub die 5 Septembris elapsi anni standum esse decrevit. In Terracinen. seu Setina Præbendæ Theologalis die 13 Februarii 1825.

(147. Ac proinde præfatam theologalem præbendam non esse conferendam Biasucco, nec huic esse restituendos fructus implicite rursus respondit Sacra Congregatio ibid.

(148. Abbati Spada veluti quartæ dignitati Metropolitanæ Ecclesiæ Lucanæ competere jus Missam canendi diebus solemnioribus, si illam Archiepiscopus non cantet, nec non eundem habere vocem activam in Capitulo, quando de rebus spiritualibus, et mixtis agatur; non vero si de rebus tantum temporalibus, quamvis tunc Capitulo interesse possit, dixit hæc Sacra Congregatio, quia redditibus Capituli non gaudet, neque temporalia onera sustinet; eamque ob causam decrevit quoque ut ad munera Capitularia eligi possit, et illa obire, si spiritualia et mixta sint, si vero temporalia, tum solum poterit cum ad formam Bullæ erectionis Abbatia suæ redditus in Massam Capitularem contulerit. Tandem censuit eidem competere jus percipiendi emolumenta legatorum quæ post Abbatia foundationem erecta fuere. In Lucana, Præminentiarum, et Jurium die 26. Februarii 1825. ad 1, 2, 3, 4 et 5. Dub.

(149. Attento continuo et laudabili quadraginta annorum servitio ab Archidiacono Antonio Cerroni in Collegiata Ecclesia S. Mariæ Frusinonis Verulanæ Diœcesis præstito, S. Congregatio ei jubilationem concessit. In Verulana jubilationis die 26. Februarii 1825.

(150. Distributiones quotidianas a Francisco Posta Canonico Decano Ecclesiæ Cathedralis Alatrinae perceptas, dum erat absens a residentia infirmitatis causa, quamvis absque

Apostolico indulto, restituendas Capitulo non esse, imo hoc teneri illius hæredibus præstare distributiones retentas, decrevit S. Congregatio. In Alatrina Residentiæ die 9. Julii 1825. ad 1 et 2. Dub.

(151. Canonicos Collegiatae Terræ Ariciae Albanen. Diœcesis a Sede Apostolica provisos minime obstrictos esse ad solvendam mediam annatam Fabricæ Ecclesiæ declaravit S. Congregatio. In Albanen. mediæ Annatæ die 3. Septembris 1825.

(152. Non constare de nullitate erectionis præbendæ theologalis in Ecclesia Strongulensi factæ a Vicario Capitulari Le-Quaglie definivit Sacra Congregatio, tum quia non constabat de illegitima ejus electione, qua etiam posita, erectio theologalis non ab auctoritate Vicarii, sed a Concilio Tridentino validitatem suam fuisset mutuata, tum quia non a laica potestate, cujus implorata tantum fuit venia, sed ab Ecclesiastica auctoritate facta fuerat præfata erectio. In Strongulen. Præbendæ Theologalis 18. Septembris 1825 ad 1. Dub.

(153. Sententiam privationis Canonicatus a Vicario Capitulari metropolitanæ Ecclesiæ S. Severinæ latam contra Archipresbyterum Franciscum Apa absentem a quinquennio non sustineri dixit Sac. Congregatio, nedum ob inobservatos pœnarum gradus a Concilio Tridentino præscriptos, verum etiam ob justam absentia causam, declinandam injustam tyrannidem. In S. Severinæ, privationis Canonicatus 22. Januarii 1827. ad 1. Dub.

(154. Eundemque Archipresbyterum manutenendum esse in dignitate Archipresbyterali, et quatenus opus esset ad eandem etiam redintegrandum esse, judicavit Sacra Congregatio. Ibid. ad 2. Dub.

(155. Ac illi a die cessatæ perceptionis omnes fructus restituendos esse ab iis Canonicis, qui eos perceperunt, exceptis tamen fructibus provenientibus ex Massa pro Missis celebratis, decrevit eadem S. Congregatio. Ibid. ad 3. Dub. *Canonicatus.*

(156. Proposito dubio an Canonicus Marochetti, qui in cathedrali Ecclesia Bugellensi officium Pœnitentiarum recens constitutum perpetuum in modum sibi suæque præbendæ, quam antea liberam tenebat, imponi passus fuerat, posset Ecclesiæ Oropensi præfici, ex jure Canonicis ceteris communi constituendi Rectorem dictæ Ecclesiæ B. Virginis custodiendæ, eumque e suo Collegio adscribendi, quin stata in absentes punctatura durante munere mulctetur, Emissi Patres responderunt, ex Sacri Juris censura Rectoriam Sanctuarii Oropensis incompatibilem quidem esse cum Canonicatu Pœnitentiarum Cathedralis Ecclesiæ, et ad Secretarium cum SSmo juxta mentem: mens est ut ex speciali gratia in exemplum non deducenda dignetur SSmus annuere precibus Oratoris primi Pœnitentiarum juxta votum Episcopi, proviso per ipsum Episcopum ne desit alter ex gremio Capituli, qui suppleat loco Pœnitentiarum absentis, quatenus eligatur Rector Oropensis. In Bugellen. Incompatibilitatis 26. Januarii 1827.

(157. Cum redditus Collegiatae Ecclesiæ Sancti Martini ob passam imminutionem tenues adhuc sint. Sac. Congregatio indultum reductionis quoad chori servitium 16. Decembris 1820. concessum prorogavit donec augeantur redditus; at servitium chorale ad Octavas Privilegiatas ampliavit. In Nullius S. Martini Reductionis Servitii Chori die 22. Februarii 1827.

(158. Contententibus Canonicis Carmalinensibus in Taurinensi Diœcesi ob indultum sibi jus optionis derogatum fuisse a Summo Pontifice regulis Cancellariæ de affectationibus, vel reservationibus, ideoque optari posse quasque Canonicas præbendas, licet affectas vel alio modo Apostolicæ Sedi reservatas, negativum in omnibus responsum edidit Sac. Congregatio. In Taurinen. Præbendæ. Theologalis die 27. Aprilis 1827, ad 3. Dub.

(159. Iisdemque conquerentibus de quodam Archiepiscopi decreto jubentis ut Capitulum de optandi jure testimonium daret, quasi inde sibi vindicare vellet jus confirmationis contra jura Capituli Carmaniolensis Bullis Pontificum sancita, Emissi Patres proposito dubio an, et quomodo in casu Optionum auctoritas Archiepiscopi intervenire debeat, rescriperunt affirmative per confirmationem optionis, et ad Secretarium cum SSmo. In eadem ad 4. Dub.

(160. Translationem initam inter administratores Nosocomii Montis Bodii, et Josephum Roberti approbandam esse censuit Sac. Congregatio, ad eliminandas litium expensas, quas ille locus pius sustinere nequibat et ob incertum causæ eventum. In Senogallien. Transactionis die 8. Maii 1827.

(161. Attentis peculiaribus circumstantiis in facto concurrentibus, S. Congregatio benigne concessit Capitulo Ecclesiæ Cathedralis Sarnensis indultum recitandi mane Vesperas cum Completorio mensibus æstivis juxta votum Episcopi ad decennium, facto verbo cum SSmo. In Sarnen. Servitii Chori die 25. Maii 1827.

(162. Indultam per Emissum Episcopum Prænestinum Pontificis facultatibus auctum Sacrorum reductionem in Canonicatu quem Lucas Zancatius in Cathedrali Ecclesia fundaverat, cum acriter impeteret Jacobus Petrinus ejusdem Beneficii patronus, S. Congregatio maluit differre iudicium, et interim Emissus Episcopus, accito Patrono, curet exhiberi statum activum et passivum Canonicatus, et dignetur referre an et in qua Summa, durante suspensione, redditus Canonicatus fuerint investimento collocati. In Prænestina, Reductionis Missarum die 25. Maii 1827. ad 1. Dub.

(163. Precibus Collegiatae Ecclesiæ Capendonensis in Firmana Diœcesi, quibus postulabatur suspensio Canonicatus ad turrum campanilem et Ecclesiæ parietes sarciniosos atque puliendos, cum nec Canonici neque municipes (qui patronatu Ecclesiæ fruuntur) sustinendis hujusmodi impensis pares essent Emissi Patres annuendum dixerunt ad annum, et si quid deerit pro impensa necessaria, Emissus Archiepiscopus curet rem componi